



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Commentaria Vetustissima & profundissima Super Canticvm Canticorum Salomonis Qvod Hebraice Dicitvr Sirhasirim**

**Wolbero <de Sancto Pantaleone>**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Versvs VII. Tota pulchra es amica mea, & inacula non est in te.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10027**

mouet, vt aut ex peccatorum suorum consideratione, aut pro futuri regni dilatione gemat, gemēs exoret, exorans quandoque accipiat, siue peccatorum veniam, siue desideratā beatitudinis coronam.

Myrra carnis mortificationem denotat.

Carnis ergo mortificatio per myrram exprimitur, propter laboris & passionis amaritudinem: porro deuoti spiritus postulatio per thus accipitur, propter quodāmodo fumigantē exiguā compunctionis vel pœnitentia mœrorem, vel charitatis ardorem, ex quo dirigitur ad Deum pura mentis supplicatio oratio. Sed cum vtrāq; virtutes videlicet carnem mortificare & frequenter orare, summæ honestatis & vtilitatis, sicut in corpore sanctæ Ecclesiæ, ea tamen excellentior cōprobat, quæ maiori labore animi & corporis adquiritur.

Per thus oratio exprimitur.

Cur Myrra mōtis, thus colli-nomine prædicatur.

Quocirca vt earum meritum distinguatur, myrra montis, thus colli nomine prædicatur: Dicit ergo, *vadam ad montem myrræ, & ad collem thuris*, ac si alijs verbis apertius dicat, ad eorum mentes, qui ea intentione laborāt, vt se vitijs & peccatis mortificent, & hoc assiduis orationibus obtinere student, vadam per cooperatricem & collatricem gratiam, vt probem eas mea in habitatione dignas, quas harum pulchritudo virtutum delectat, dum sum paratus & subuenire laborantibus, & annuere supplicantibus.

VERSVS VII.

*Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

CVm inquit te superius septemnis pulchritudinū extulerim præconijs, ac deinde mortem myrræ collemque thuris in te dignanter attēderim, magna quippe eminentia mentis est mortificatæ carnis subiectio, vnde nascitur liberi spiritus contemplatoria ad Deum interpellatio sed mortificatione carnis ita sopiuntur vitia & peccata, vt nihil sit quod spiritui repugnet, sed tāta est animi puritas & æqualitas vt nullas in tuo corpore sordes possis admittere, quæ decoris tui gratiam valeant obliterare.

Mortificatio carnis pulchritudinum adfert animæ.

*Tota ergo pulchra es amica mea, & macula non est in te*; macula inquam non est in te, hoc est nullam habet essentiam, quia etsi aliqua parumper & humana fragilitate accesserit, cito cordis compunctione & humili confessione atque quotidiana oratione repellitur.

VERSVS VIII.

*Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis de capite Amanæ, de vertice sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

QVapropter *veni de libano sponsa mea, veni de libano*, hoc est, quia deuicta iā & mortificata omnis carnis cōcupiscētia, cordis & corporis munditia candida es effecta, *veni de libano*, hoc est, de hac candidatione tua, libanus enim candidatio interpretatur, veni autem non semel, sed iterum, quia non

Libanus interpretatur candidatio.